Ann. II. Num. XIV.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

BIS IN MENSE PRODIT

Pretium annuae subnotationis, ***ante solvendum***, in Italia est Libellarum 10;
ubique extra Italiam Lib. 15, M. 12, Sch. 12, Doll. 3, Rubl. 6, Flor. 7 ½.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in extremis commentarii paginis Lib. 0.50 pro *unoquoque centimetro quadrato.*

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI *equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem*
ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA

Subnotatio fieri potest:

IN ITALIA
Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC.
ROMAE, Via Santa Chiara, 20-21.

IN ANGLIA
Apud BURNS AND OATES
LONDON W. – 28, Orchard Street.

IN CIVITATIBUS FOEDERATIS AMERICAE SEPTENT.
Apud
COMMISSARIAT OF THE HOLY LAND.
NEW YORK, 143 w 95th St.

IN CANADA ET NEWFOUNDLAND
NEW YORK (U. S. Americ.), 143 w 95th St.

IN BELGICA
Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC.
BRUXELLES, Rue de la Montagne, 52.

IN GALLIA

LUGDUNI
Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC.
Rue Victor Hugo, 5

LUTETIAE PARISIORUM
LIBRAIRIE VIC ET AMAT
CHARLES AMAT SUCC.
Rue Cassette, 11.

INSULIS (LILLE)
Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC.
Rue de Metz, 41.

IN HUNGARIA
Apud
C. B. LIPTAY, CORRESP. DE HONGRIE
BUDAPEST, Palais du Théâtre National.

RERUM INDEX

IDIBUS IULIIS MCXCIX .... Romanus.
HIEROSOLYMA URBS CAPTA (Ex opere G. Tyrii cui titulus: *Belli Sacri Historia*).
DE POPULARI INGENUARUM ARTIUM RATIONE .... I. Antonelli.
CONSTANTINUS CHRISTOMANOS EIUSQUE OPUS, CUI TITULUS: « TAGEBUCHBLÄTTER », I. FOLGE .... C. De Pacis.
AD LAURENTIUM PEROSIUM MUSICUM CLARISSIMUM . .... A. Artioli.
DE NOVA ZELANDIA .. .... H. A. Strong.
ARCENDAE EBRIETATIS RITUS APUD MAIORES .... Laelius.
DE MEMORIIS APOSTOLORUM PETRI ET PAULI IN URBE ROMA .... H. Marucchi.
MAXIMUM INTER ANIMALIA BRONTOSAURUM . .... H. D. V. Pieralice.
EPISCOPORUM AMERICAE LATINAE CONCILIUM IN URBE CONGREGATUM.
VITA FUNCTI VIRI CLARIORES . .... C.
FRUSTULA .... Forfex.
ANNALES .... Poplicola.
PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS .... Scriba.
LUDI VETERES ET RECENTIORES .... Alpha.
AENIGMATA .... M. Fuscus.

In tertia operculi pagina:

PER ORBEM .... Viator.
VARIA: Beneficia etiam ferae sentiunt .... Salpa Qui.
Ioci .... P. d. V.

ROMAE
EX OFFICINA FORZANI ET SOCII
M DCCC XCIX

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

ROMAE - Via Alessandrina, 87 - ROMAE

MONITUM

Eorum omnium, qui in posterum inter commentarii socios recenseri volent, subnotatio fieri potest a superioribus kalendis Iuliis.

COMMENTARII RECENS DONO ACCEPTI

L'amico della gioventù. Singulis hebdomadis prodit. Veronae.
Atene e Roma. Commentarius cura Italae Societatis ad litterarum studia vulganda editus. Florentiae-Romae.
Bessarione. Recensio periodica studiorum orientalium. Romae.
Bollettino del museo civico di Padova.
Catholicum. Comm. menstruum de iis quae in Ecclesia catholica peraguntur. Romae.
La Croce. Singulis hebdomadis prodit. Neapoli.
Divus Thomas. Commentarium inserviens Academiis et Lyceis scholasticam sectantibus. Placentiae.
Emporium. Recensio menstrua litterarum et artium. Bergomi.
Ephemerides Liturgicae. Singulis mensibus Romae prodeunt cura Congr. Vincentianae. Quaestiones liturgicas, sive quod theoricen, sive quod praxim spectat, tractant; et Decreta S. Rituum Congreg., opportunis additis commentariis, evulgant. Accedit Appendix continens quaestiones cum Liturgia relationem habentes et Decreta aliarum Congregationum. Recens Pontificiis litteris in forma *brevis* donatae sunt
Giornale Arcadico di scienze, lettere ed arti. Romae.
Il Marzocco. De litteris et artibus commentarius. Florentiae.
Minerva. Recensionum recensio, moderatore Friderico Garlanda. Romae. Singulis dominicis diebus prodit, scripta maximi momenti, quae sive in praecipuis commentariis, sive in libris vulgantur, strictim referens.
Nuntius Romanus. Romae.
L'Osservatore Cattolico. Diarium Mediolanense.
Rivista d' Italia. Semel in mense prodit. Romae.
Rivista Internazionale di scienze sociali e discipline ausiliarie. Semel in mense prodit. Romae. Praeter scripta maximi momenti videre in hoc commentario placet librorum commentariorumque recensionem maxime copiosam.
Rivista politica e letteraria. Semel in mense prodit. Romae. Singulare in commentario hoc id habetur, scripta omnia designari, quae in praecipuis totius orbis ephemeridibus scitu digna vulgentur.
Il Santuario di Caravaggio. Caravagii ad Bergomum.
La scuola secondaria italiana. Singulis hebdomadis prodit. Mediolani.
La vera Roma. Singulis hebdomadis prodit. Romae.
Vita Nova. Ephemeris, cura Societatis iuvenum athenaeorum studiis vacantium. Neapoli.
Vittoria Colonna. Commentarius ad Italas mulieres. Bis in mense prodit. Neapoli.
La Ricreazione. Commentarius; bis in mense prodit. Tergeste.
Die Nation. Semel in hebdomada vulgatur. Berolini.
Studien und Mittheilungen. Reigen.
Obnova. V. Hradci Králové.
Vlast. V. Praze.
Bulletin Bibliographique internat. Bruxelles.
Revue Bibliographique Belge. Bruxelles.
Revue Neo-Scolastique. Lovanii.
Boletin-Revista de la iuventud católica de Valencia.
La Crux. Madriti.
El Eco Franciscano. Santiago.
Revista Católica de las cuestiones sociales. Madriti.
Revista crítica de historia y literatura españolas, portuguesas, é hispano-americanas. Madriti.
Revista Ecclesiástica. Valdoleti.
La Semana Católica. Madriti.
Amerikanski Slovenec. Tower.
El Católico. Santiago de Cuba.
Der Herald des Glimbens. St. Luis Mo.
Diario de Centro America. Guatemala.
Johns Hopkins. University Circulars, Baltimore.
Katholischer Mesten. Dubuque.
The Messenger of the Sacred Heart. Neo-Eboraci (U. S. A.).
Niagara Index. Niagara University, N. Y.
Revue Ecclésiastique. Valleyfield in Canada.
The Review. Singulis ebdomadis editur. Saint-Louis M. (U. S. A.).
The Rosary Magazine. Patrum a S. Dominico praeconium menstruum. Somerset (Ohio) U. S. A.
The Church Progress. St. Luis Mo.
The Tidings. Los Angeles, Cal.
Le Messager de Tahiti.
Our Alma Mater. St. Ignatius College. Riverview, Sydney.
I-wen-lou et **Revue scientifique.** Zi-hai = Shang-hai.

COMMENTARII "VOX URBIS„ INDEX RERUM, NUM. XIII ANN. II

In Ioannem Baptistam Grossum praepositum curiae Ioannianae Braidensium apud Subalpinos annum XXV sacri muneris agentem - I. B. Gandinus.
Ex Sinensium imperatoris recenti decreto quaedam cogitate inferuntur - Eucalyptus.
De dramatibus emendandis - I. Antonelli.
Veteris athenaerorum mores - A. Costaggini.
In festum sancti Petri apostoli - F. X. Reuss.
Ferreum iter Transiberianum - A. Luzzani.
De memoriis apostolorum Petri et Pauli in urbe Roma - H. Marucchi.
De sericis textilibus arte confectis - Laelius.
Petrus Parenzo - A. Fumi.
De consistorio - H. D. V. Pieralice.
Numen ubi ?... - A. Basili.
Carolus Nocella patriarchatus Antiocheni titulo decoratus - F. Pellegrini.
Annales - Poplicola.
Publici per orbem coetus legibus ferendis - Scriba.
Librorum recensio - I. F.
Aenigmata - Digamma.

In tertia operculi pagina:

Per orbem - Viator.
Varia: *Singularis tessera - Deambulatio per aquas - Ferrumne ex paleis? - Londinenses in Britannia - Medici Lutetiis Parisiorum - Ioci* - P. d. V.



BARI IN ITALIA

Praemiis decorata Societas ad Olea Olivarum

(vulgo: Riunione dei produttori di olio d'oliva)

nullis pro itinere impendiis in quamlibet orbis terrarum regionem suavissima olea dimittit, quae et purissima, et genuina et propria sibi profitetur, itemque deliciosissima olivas muria servatas, ex medulla et adipe lycopersici succos concretos, vina quotidiana caenis, caricas, et cetera huiusmodi. Praeterea sapones ad munditiem telarum, lanarum, gossypiorum, etc.

Pretium prout fert dies nuntiatur, ubi accepta sit chartula in qua nomen, cognomen, et mansio petentis reperiantur.

☞ ***Singulare aliquid est, siqua mittenda sint Piis institutionibus, Hospitiis, Collegiis, Sodalitiis, Fabriceriis et Cooperativis societatibus catholicis.***

SUNT OLEA AD LAMPADES PRO TEMPLIS ET DOMIBUS.

Ann. II. ROMAE, Idibus Iuliis M DCCC XCIX. Num. XIV.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETIUM SUBNOTATIONIS:
In Italia: Lib. 10 — **Ubique extra Italiam:**
Lib. 15, M. 12, Sch. 12, Doll. 3, Rubl. 6, Flor. 7 ½.

BIS IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR:
ARISTIDES LEONORI, eques.
ROMAE - Via Alessandrina, 87.

IDIBUS IULIIS M C XCIX

HAUD pluribus ferme iniuriam me facere credam, si cuiusdam notitiae oblitos omnino reputem, quam assidui scholae adolescentes memoriae tradidistis, his vel similibus verbis conceptam: « Anno MCXCIX, die Iulii mensis XV^a, feria sexta, hora nona, Godefridus Bulloniensis eiusque crucesignati milites Ierusalem moenia superarunt, sanctumque Christi sepulcrum a Turcarum servitute vindicarunt ». Nec tamen oblivione offendar: merito enim affectus omnes fidemque, quae ad sacrum illud suscipiendum bellum maiorum nostrorum agmina concitaverunt, hodiernos iuvenum senumve animos commovisse vidi numquam; nam pietatis fervorem illum vehementissimum, quo incensi crucis milites sunt, a pluribus iam saeculis exstinctum dolemus, simulque bellicae virtutis amorem, laudisque militaris cupiditatem tum lucri studio, tum auri malesuada fame ex animis esse depulsam. Quod quidem, etsi interdum ad arma coercenda aliquantulum valuit, cum vehementius arrogantia vel avaritia commotae sunt, a sanguine fratrum nullam tamen gentem retinuit, ita ut relaxatae illius cupiditatis effectus non ferme in illud beneficium cesserint, quod amissas omnino, quae sunt antiquitus ex fide partae virtutes, minime rependerint.

⁂

Etsi enim bellica ac barbarorum haereditate adepta rabies superatos quamvis hostes infanda saepe clade iugulaverit, et quasi infidelium cruore pota sit, aderant etiam insimul ea cuiusvis virtutis generosae specimina, quae vituperabiles irae excessus quam longissime redimerent: fortissima quorumvis malorum sustinendorum patientia, excandescentium saepe iurgiorum mitis oblivio, ac, fraterna restituta concordia, superbiae omnis coram Cruce abdicatio, admissorum asperrima fletibus et ciliciis poenitentia, strenuissima denique militiae virtus, candida portentorum fide quasi in singulorum brachiis centuplicata; uti post Dominicae, quam putabant, lanceae inventionem inter Antiochenas obsidiones, vel post apparitionem sancti Georgii, ante Hierosolymae portas micantis, fausto omine accidit.

Huiusmodi ferme fidei virtutisque portenta aetas haec nostra iterata nullibi conspexit; neque tamen, et aequalibus humanissimis, ferinae saepe crudelitates defuerunt, eoque graviores, quo non a militibus nimio religionis amore deceptis, vel aestuante bellico furore praereptis admissae sint, sed perspecto satis prudenterque exquisito consilio, ut lucrandae pecuniae huic vel alteri populo facilior pateret via. Quapropter quo magis terrestrium bonorum cupiditas militaris laudis desiderio vilior ac contemptibilior habenda est, eo magis Antiochenae vel Hierosolymitanae clades, Indorum vel Afrorum hodiernis excidiis, sunt excusandae.

⁂

Quid tamen, cum tantum veluti martyrum agmen ex crucis legionibus selectum videmus? Svenum, Danorum regis filium, puellamque regalem iuveni caste desponsam; Unfridum, Templariorum equitum ducem, equitesque suos omnes, qui circa Crucis lignum in praelio ad Tiberiadem contra Saladinum fortissime occubuerunt; denique, ut maximum recolem, sanctum Ludovicum Galliae regem, quem, ex prima captivitate vindicatum, iterum ad sacra redeuntem bella morbus absumpsit.

Ecquis vero inter Napoleonides exercitus, vel inter Borussorum adversas copias Rainaldi Porcherii animum aequavit, qui cum captivus ad Antiochena propugnacula suis obsidentibus, ut pacem suaderet propositus esset, contubernales hortatus est, ne sibi alloquenti parcerent, urbemque totis viribus oppugnarent? Quibus auditis, cum barbari Christum deserere et a fide abdicare illum iussissent, in genua procumbens, ad Deum magna voce clamavit, ac repente mortali vulnere martyrio donatus est. Hunc ex legione recolui; nam Godefridi nobilissima virtus integerque Tancredi ducis animus nulli comperta non sunt.

⁂

Tantorum vero facinorum, quae hodiernae humanitatis quasi splendida exordia fuisse plures credimus, totque illustrium virorum, cuius nomina inter nobilissimas nostras gentes retinemus, quae fuit, quaeso, recordatio? Quae monumenta in illam excitata, vel cuius audita est vox rei memoriam coram veteris Europae gentibus recolens? Merito igitur lugendum arbitror signum temporum, quibus dum cuiusvis vel communis viri, vel minimi eventus centenariae dies solemnes habentur, vel omnium oculi, ut ingrata plane dicam, in Dreyfusianum, puta, negocium intenti sunt, Itali, Galli, Germani, Angli, et quotquot crucesignatorum exercituum haeredes populi exstant, diei huius prae ceteris memorabilis immemores sese ostenderint. Nec mirandum tamen; cum enim vel obiter recogitemus quam prompta sollicitudine Graecorum ex Candia insula vel Armeniorum querimoniae apud nostras respublicas exceptae sint, quaeque ipsis praestita opitulatio, dum, infanda eorumdem Turcarum feritate, ferro et igni per urbium plateas et usque in templis opprimerentur; altissimae Crucis victoriae nec echo languidam superesse fatendum est.

⁂

Haec omnia nos et quotquot sunt adhuc generoso animo praediti iuvenes non sine lacrimis miseranda conspeximus; hodie vero, solemni hoc redeunte die, quo paucis contigit vidisse maiorem, Godefridus heros crucesignato tectus clypeo micantem distringens gladium, primus in moenia sanctae civitatis irrumpens, vivus veluti ac spirans prae oculis est. Facinoris igitur excelsi saecularem memoriam, octavo remeantem, in commentario, qui latino conceptus sermone, hoc ipso per universum terrarum orbem vulgatur, et recolere optimum duximus, et recoluisse laetamur. Si qua enim est purissima christiani nominis gloria, haec fuit, tot Latinorum, Gallorum, Germanorum militum millia una religionis voce congregata per asperrima itinera praeliaque innumera, nec fame, nec siti, nec morbis omnibus fracta, sepulcrum Christi armis vindicasse. Sit itaque haec quasi almae huius Urbis coram omnibus gentibus tum veteris tum novi orbis in tantam oblivionem solemnis protestatio, eaque optimo iure edita; vox illa namque prima, quae in Gergoviensi concilio ad Crucis vexilla ex Europa omni populos advocavit, Romani pontificis fuit, sanctitatis gloria nuperrime aucti.

⁂

Nunc autem, quoniam silent septem post saecula omnia, militum crucis Manibus gratum nos fecisse censuimus, si tibi, candide lector, ex Guillelmi Tyrii ingenue enarratis aliquid iterum proposuerimus, ut gestorum a maioribus reminiscens, animo viva virtutis memoria reficiaris, nostrumque ignobile hoc aevum, paternae gloriae oblitum, aliquando saltem defleas.

ROMANUS.

HIEROSOLYMA URBS CAPTA

... Igitur Ducis et Comitum legiones, quae, ut praediximus, in parte Septentrionali urbem impugnabant, eousque opitulante Domino profecerant quod hostibus defatigatis, et iam resistere non valentibus, effractis antemuralibus, et vallo penitus complanato, ad murum impune poterant accedere, raro audentibus adversariis eis per cancellos aliquid irrogare iniuriae. Qui vero in castello erant, hortante duce, in culcitram bombice plenam, et saccos plenos stramine ignem iniecerant, qui, flante borea accensus, fumum intra urbem intorquebat caliginosum: quo instante protervius, qui murum defen-

dere tenebantur, ora vel oculos non valentes aperire, stupidi et fumidae caliginis turbati voragine muri deseruere custodiam. Quo cognito, Dux sub omni celeritate trabes, quas ab hostibus eripuerant sursum ferri praecepit, quibus ex una parte in machina, ex altera super murum locatis, latus castelli quod moveri poterat deponi praecepit: quo super trabes praedictas collocato, vicem pontis praebuit congrua soliditate subnixum. Sic ergo quod hostes per se introduxerant, in eorum versum est laesionem. Ponte igitur sic ordinato, primus omnium vir inclytus et illustris dux Godefridus, reliquos ut subsequantur exhortans, cum fratre suo Eustachio urbem ingressus est: quem continuo subsequuti sunt Ludolfus et Guillelmus uterini fratres, viri nobiles et perpetua digni memoria, ortum habentes de civitate Tornaco. Consequenter vero infinita tam equitum quam peditum manus, ita ut nec machina, nec pons praedictus plures posset sustinere. Videntes hostes, quod nostri murum iam occupaverant, et Dux suum iam introduxerat exercitum, turres et moenia deserunt, ad vicorum angustias sese conferentes. Porro nostri videntes quod Dux et maxima pars nobilium turres sibi vindicaverant, iam non exspectato per machinam ascensu, scalas ad murum applicant, quorum illis maxima erat copia: nam bini et bini equites ex edicto publico singulas sibi praeparaverant, per quas ascendentes unanimiter, aliis qui supra murum erant, Ducis mandatum praestolantes se adiungebant. Ingressi sane statim post Ducem sunt, Flandrensium comes et Dux Normannorum, vir strenuus et per omnia commendabilis dominus Tancredus, Hugo Senior, Comes de Sancto Paulo, Balduinus de Burgo, Gasto de Blart, Gastus de Bederz, Gerardus de Rossellon, Thomas de Feria, Conanus Brito, comes Raymboldus de civitate Oringis, Ludovicus de Monson, Cono de Monteacuto et Lampertus filius eius et alii plures quorum numerum vel nomina non tenemus. Quos omnes postquam dux cognovit se intra urbem recepisse incolumes, quosdam ad portam septentrionalem, quae hodie dicitur Sancti Stephani, cum honesto dirigit comitatu ut portam aperiant et populum introducant, deforis exspectantem: qua sub omni celeritate reserata, ingressus est passim et sine delectu universus exercitus. Erat autem feria sexta et hora nona. Videturque procuratum divinitus, ut qua die et qua hora, pro mundi salute in eadem urbe passus est Dominus, eadem et pro Salvatoris gloria fidelis decertans populus, desiderii sui felicem impetraret consummationem. Eadem autem die et primus homo conditus, et secundus pro primi salute morti traditus esse dicitur. Unde et decuit, ut eius membra et imitatores, in ipsius nomine de hostibus triumpharent.

Ex opere Guillelmi Tyrii
cui titulus: *Belli Sacri Historia* (lib. VIII, cap. XVIII).

DE POPULARI INGENUARUM ARTIUM RATIONE

Non semel, ut puto, acriter conquesti sumus, feriatis diebus plebis multitudinem, quae vel in urbis angiportis, vel in suburbio vinarias tabernas complet, in cruentas facile rixas dilabi, inter quae rudem ac egestate exasperatum virorum animum vini vaporibus succensum, non dolo plerumque, sed subita ira, arreptis quae sese offerunt armis, necem comitantibus comparasse.

En autem toties optimatum omnium ingenuorumque universi ordinis unanimis quasi ac querulus chorus: opifices, artifices agricolasque omnes vino liquoribusve abutendi pessimam numquam exuisse consuetudinem, unumque illud sibi delectamento esse, ut fervidis potionibus quo frequentius liceat sese inebrient.

Optime quidem; at immensas non raro multitudines, non triginta vel quadraginta epulantium, ad publicas funerales, nuptiales, vel bacchanales historicas pompas, vel ad publicarum aedium signorumve inaugurationes, vel ad militum recensiones vidimus, magna civitatis quiete ac pace, nec sine aliqua, ut puto, animorum recreatione; non enim aliter, feriata praecipue die, vinarias illas cellas, quas tam dilectas habent, reliquerunt.

Absoluta vero pompa, necatum inter spectacula hominem numquam audivi ephemeridum praecones clamitare, idque pariter nec admissum novi unquam, inter densum hominum agmen vel e theatrorum caveis, vel e gymnicorum ludorum palaestris egrediens.

Sunt itaque et populo dilecti ludi a vinariis voluptatibus quam longissime dissiti, quibus tamen adesse cum plerique vacua nimis crumena prohibeantur, quod vilissimi pretii est oblectamentum quaerunt, ut inebriata poculis mente malorum et aegritudinum vitae, quibus quo durior premit egestas eo acrius torquentur, aliquantulum obliviscantur.

Est enim et rudi populi ingenio quaedam bonarum artium curiositas, earumque spectaculis aliquod et plebi delectamentum paritur; nemo enim ignorat, licet non amplius inter sacros Arcadiae montes, vel hodie tamen flava inter sata vel rubros pampinos agrestis poesis thesauros latere, nec esse interdum civitatum popello carminum musicesve nativum quemdam effluxum vetitum.

Quae igitur ex insignibus artis operibus produnt solamina, non ignota omnino plebis ingenio sunt, sed et quaesita obiter et gratissima; at rudis inculta que mens efficit, ut non idem, quod nobis, sit ipsi iudicium, nec eadem pulcritudinis intelligendae exquisita calliditas, ita sane, ut plerique vel circos, ubi gymnici ludi habentur, frequentissimi adeant, vel pyricae pulveris coruscantes ac explodentes ignes mira delectatione contemplentur. Quodsi carminum musicesve operibus gaudent, ea praediligunt quae facili etsi nimis nota vena prodeant, nec nimia numerorum concentuumque calliditate ardua magis perceptui sint, excultumque disciplinis ingenium reique peritum exposcant.

Hinc blanda illa et suavis, licet incondita, popularis poesis ratio, qua iuvat interdum et nos impervia librorum arte defatigatos, veluti vivae fontis unda, nulla immixtione, recreari: hinc ingenuae musices abdita vis insolitique nervi, quibus animi facili melo ad lacrimas usque non raro moventur. Quid vero de artibus quas *plasticas* vocamus, de signis vel tabulis? Haec enim, rudi quamvis ac incondito mucrone vel pennicillo expressa, iucunda religionis mysteria, Deiparae vultum, Sanctorum fasta adolescentes nos docuerunt, quae prima sibi fuisse artium huiusmodi delectamenta multis fatendum est.

Haec iure itaque summa pietate diligit plebs, cumque pietate commoti rustici flores, cereos ac vota ad simulacra apponunt, pulcritudinem veluti caelestem ex eorum adspectu facile sibi effingunt, cui nec atra vetustatis superficies, nec imperita artificis manus impedimento sunt. Satis enim incultae plebi est, ut quae consuetudo exposcit insignia, in Sanctorum tabulis eluceant, utque formae, quas avita traditio sacravit, non immutentur: quibus adamussim edocta, epica maiorum carmina recinit, eorumque gesta, quavis critices curiositate remota, ut sibi a patribus enarrata sunt, ita et ipsa filiis iterat. Credula enim est et quasi puerilis populorum indoles; sed ea ipsa de causa ab hodierna senescentium nostrum humanitate quam maxime aberrat, et magnarum cogitationum magnorumque gestorum flamma succenditur, vel prodigiosae fabulae miris notitiis supramodum delectatur.

Sunt heroes itaque omnes, sive quos patriae historia exhibet, sive quos poetarum carmen vel ipsius gentis mens effinxit, plebi carissimi, ita ut commenticiis epicis carminibus, quibus medii, quod dicimus, aevi equitum gesta ab errabundis cantoribus referuntur, passim per vias frequensque gaudeat. Est et praeter haec amatoria poesis vulgo apprime dilecta, neque raro ipsius ex ore vehementi affectu flagrans prodit, cui, iuxta gentium indoles, musices nervi ac harmoniae aptantur, qua quidem calliditate meridionales Iberos Italosque populos primas referre notum est.

Quae omnia si quis attente ac intime perpenderit, maximam esse ingenuis artibus in populo non tam recreando, quam et erudiendo tributam vim sciet, indeque reipublicae munus incumbere, ut et aptissimo hoc medio ad eius leniendam fortunam sortemque meliorem reddendam contendat.

Quae enim res in commutandos hominum mores efficaciam habent, nisi in bonum vertantur, raro ad longum tempus inutiles manere conspiciuntur, nec in neutram inclinare partem, ita ut periculum constanter immineat, ne in malam societatis perniciem evadant. Quod profecto, uti de multis aliis, ita et de artibus dolendum est, quae tum impia sectariorum mens diaboli socia, tum insatiata lucri cupiditas, adhibitis sive turpium ephemeridum obscoenis fabulis et carminibus, sive photographiis, litographiis, chromolitographiis, aeris cusionibus, vel quot sunt ultimis hisce annis in tabularum signorumve locum suffectis, foedissima quaeque vulganda maxime curat.

Interea vero, nec memorare dubito, ut musices vel picturae sculpturaeve scholae atque academiae, theatra musicesque aedes, ut bibliothecae ceteraque huiusmodi in civium commodum pateant publica tributa ab universis solvi, humilioribus illis non exceptis, quibus deinde, ut solatium a laboribus feriata die inveniant, nonnisi vinariae cellae relinquuntur; immo, quod peius est, nec lex prodit unquam, quae stolidis viris artium illecebris ad quaestum abutentibus frenum imponat, rudemque plebem a tot male vulgatis stimulis tueatur.

Quae sane non semel indigitata reipublicae gubernatoribus huc vel illuc sunt, ac praecipue in coetu artium publicarum, qui Bruxellis est habitus, a quo et multa rogationum ritu sunt insuper proposita ad pueros ingenuarum artium rudimentis erudiendos. Cuius rei duplex consilium fuit: alterum, ut si quem naturalis indoles in artes facile abripiat, puerilibus licet experimentis peculiare donum pandat, parentesque ac magistros quoad ineundum sibi vitae curriculum illustret; alterum, ut omnibus, quae plasticas artes ad acriorem et clariorem rerum visum auxilia suppeditant, proponantur, quibus videndi acies, observandi subtilitas, exponendorum conceptuum facilitas cuique augeatur.

His profecto, addita singulis quadam diiudicandae pulcritudinis peritia, quae inter excultos ordines incultamque plebem differentiae intersunt, minuentur, licebitque tandem rudes etiam populares ad pulcherrimorum operum intelligentiam ac delectamentum adducere: iniquum est enim, ut qui vitam omnem viresque impendunt in comparandis pro reliqua hominum multitudine omnibus quae ad vivendum necessaria sunt, illo, quo artes omnes pollent, primo ac

lectissimo vitae blandimento fortunarum iniquitate omnino priventur.

Quae, si licet optata pandere, cumulate esse adimpleta mihi non videbuntur, antequam idem quod iam de bibliothecis, de pinacothecis, de museis cautum est, de theatrorum etiam spectaculis, quae cuiusvis artis veluti summam proferunt, constituatur, ut nempe publico aere, uti quondam Circenses lud[i] apud Quirites, cuivis civium coetui ac multitudin[i] pateant. Sicuti enim divina magnificentia stellarum splendorem marisque pulcritudinem nullo pretio divitibus pariter ac pauperibus ad vitae iucunditatem diffudit, ita reipublicae rectoribus, de artium humanarum operibus, quae illarum splendorem, quasi speculum, imitantur, cavendum esse arbitror, ut quamplurimis eruditioni simul ac solatio sint.

I. Antonelli.

CONSTANTINUS CHRISTOMANOS

EIUSQUE OPUS

CUI TITULUS: *TAGEBUCHBLÄTTER*, I. FOLGE

Constantinus Christomanos, graecus, a Symbolistarum schola dux et magister merito appellatus, admodum adolescens quinam in litteris esset futurus multis comprobavit indiciis; tanta in eo erant et cupiditas et poesis et philologiae ingenium. Uti Iacobo Leopardi, animum nobilem, sine fucis, ad dilectionem propensum natura mater ei concessit, sed misere affectum corpus. Ad athenaeum Vindobonense animi ad litteras excolendas adiungendi gratia, una cum fratre Antonio missus, ita inter omnes ingenio studioque condiscipulos excelluit, ut, paucis post annis, Austriae imperatricis Elisabeth magister graecarum litterarum regio decreto elegi meritus sit.

Ex quo munere eius fortuna eiusque fama; nam omnium oculos ad se tam iuvenem tamque eruditum convertit, et statim ostendendi suam in litteris virtutem facultatem obtinuit. Discipulae suae augustae (cuius benevolentiam et gratiam semper retinuit) magnam quae in eo erat antiquarum apud Graecos litterarum et artium voluptatem communicavit; nunc autem, illa sicario ferro interfecta, opus diu desideratum in lucem edidit, in quo multa et varia de intima eius vita denarrat.

Illis in chartis ita auctor erga imperatricem admiratione affectuque imbutus apparet, ut, potius quam commentarium, lyricum carmen scripsisse videatur. Quo factum est, ut crebro etiam in elatam exaggeratamque incidat dictionem. Certe (ut iure meritoque Alexander Lutius (1) opinatur) Constantinus, Elisabeth consuetudine utens, inexplicabili quodam sensu vinciendus erat; alioquin animi abalienationes, delirantia fere verba quisnam probare potuerit? Ceterum, nonne « ex abundantia cordis os loquitur » ?

Nihilo minus opus illud multis nitet virtutibus; dictione polita et vetusta, mirificis graecarum corcyrearum regionum descriptionibus, dictis gratissimis et perutilibus ad aliquid naturae morumque Elisabeth perspiciendum.

Studium graecarum litterarum, ultra quam principes soliti, Elisabeth hausisse affirmat Christomanos; quotidie enim duas vel tres impendebat horas, diligens Shakespearianas fabulas in graecum vertere sermonem; vel saepe *Iliadem* vel *Odysseam* in teutonicum. Qua in re tanta vehebatur voluptate, ut nulla de causa, nihilo inde distrahi posset, non visitationibus, aut publicis negotiis, ne aestu quidem aut frigore. Vehemens quod in Elisabeth erat litterarum graecarum desiderium, alterum genuit et Graiorum artis et morum. Hinc, ut magis magisque graecam viveret, quam concupiebat, vitam, rus Achilli ipsa Corcyrae dicavit, quod hic heros Danaum virtutem, vim invictam mirifice expressisset, idemque imaginibus marmoreis deorum Olympi, Musarum ditavit; ibique paucis cum servis, graeco loquens sermone, *solitudinis orgiis* (ut ipsius utar verbis) se dabat.

Sed frequenter cum etiam vitam regalis foemina fastidisset graecam, relicta Corcyra, huc illuc, quo desiderium traheret, per orbem peregrinabatur.

Raro exstitit regina tot ac tantis, ut ipsa, domesticis obiecta casibus: nam brevi temporis intervallo propinquos et filium et sororem miserrime amisit; sed tamen numquam queri cum familiaribus visa est; quamvis, oh quanto dolore excruciabatur! Quae causa enim tanti fastidii nisi fixus animo dolor, isque gravissimus? Christomanos hanc confirmans rem, flebilem casum denarrat: Deambulante imperatrice per litora maris, Constantino comite, ecce e rustica domo querulae erumpunt voces. Stat dolorosa Elisabeth, et magistro ait: « Vide, quaeso, quid sit! » Sollicitus ingreditur Christomanos, causamque investigat tanti clamoris: filium puerum matri fata abstulerunt. Redit, et pio mendacio imperatrici: « Mulier », inquit, « aetate confecta nuper decessit ». Cui Elisabeth: « Opinio forsitan te fefellit: redi, sed... non... Certe scio filium mortuum esse; vocem enim audivi flentis matris. Oh infelix mulier, cui tantum superest dolor; filii memoria non brevi deletur, manebit alta mente reposita! »

Ex hoc casu, multisque aliis animum vere nobilem ac pium Austriae imperatrici tam misere vexatae doloribus semper adesse e Constantini Christomanos libro perdiscimus; nam ille omnia et singula adiuncta domesticae Elisabeth vitae diligentissime est persecutus.

C. De Pacis.

(1) Cf. *Illustrazione italiana*, n. X, an. 1899.

AD LAURENTIUM PEROSIUM

MUSICUM CLARISSIMUM

Quid pauci blaterant artem lucemque miselli,
Cum tibi nil desit, ne iusto nomine nobis
Orpheus, Amphion, vel tu dicaris Arion,
Maiorum, praeclare, viae reparator et index,
Unde licet cythara et cantu revocare suimet
Immemores sine pace viros, sine fine pudico
Curarum et studiis reptantes more colubri?
Te tua Calliope felici protulit ortu:
Tu puer ambiguam renovatis legibus artem
Rursus inire viam facis ad penetralia cordis,
Post longum tempus vestigia primus avorum
Ausus calcare et nitidos tentare modorum
Concentus, trepidante schola, mirante magistro,
Insolitumque melos, renovataque carmine plectra.
Ac velut insequitur diffractas aethere nubes
Lumine luna suo, sic tu, rectissime vindex
Artis desuetae, liquido modulamine mentes,
Haud mortale sonans, compellis ad otia caeli.
Tu princeps pacis, velut alti e vertice Pindi,
Ne dubita insanos cythara revocare, modisque
Natura studiisque datis, imitante magistram.
Aut etenim moniti sponte ad meliora redibunt
Consilia, aut ista rerum compage soluta,
Barbaries potior cultus invadet opimos,
Teque unum insignis non tangent damna ruinae.

Ferraria.

A. Artioli.

DE NOVA ZELANDIA

Saepenumero mecum miratus sum quanam ex causa Italici, atque latina stirpe oriundae gentes, quas necessitas quaedam dura vertere solum coegit, colonias britannicas americanis posthabere consueverint. Neque enim in toto orbe terrarum pulcriorem vel salubriorem insulam invenias, quam illa quae ipsam Italiam facie et caelo, Antarcticum litus spectans, imitari videtur.

Nunquam ibi longae hiemes, nunquam gelu diutinum laboribus obstat: sol perennis, neque tamen violentior: ita ut incolae, sicut Syracusani olim apud Tullium, queri soleant nisi solem quotidie aspicere detur. Montes, Apennina referentes cacumina, dorsi instar, quibus nix aeterna caput operit; rivi perennes utrumque versus litus rapidissimo cursu feruntur. Solum praecipue fecundum: ovium ac boum corpora in dies plura in Angliam mittuntur. Pauperes paucissimos, praedivites raros habet insula. Bene vestiti, bene nutriti ambulant opifices, inediae atque frigoris expertes. Rarissimum vitium ebrietas: neque enim Baccho indulgere propensum est quibus aliarum rerum copiam ipsa natura larga manu obtulit. Caeli amoenitatem nullus scriptor, pictor nullus exprimere potuit; inest enim vigor aliquis illi caelo, quod hilare quoddam ingenium creare videtur atque in dies reficere. Sex solidos in diem accipit agri cultor plane imperitus, ita ut peculii quidquam vel in primo anno conficere soleat. Indigenae, quibus Maori nomen, in insulam illam quae septemtrionem spectat relegati, iam tandem otio fruuntur et libertate, neque ultra tumultus nec bella ab illis metuuntur. In hac insula etiam aquae calidae reperiuntur, contra podagram et membrorum dolores efficacissimae. Abhinc decem annis mons quidam praecelsus Vesuvium ita imitatus est, ut cineribus immensam circumiacentis terrae regionem consperserit, et pagum quendam cooperuerit.

Sin autem quaeritur quonam modo Italicus cultor novam quandam viam insisteret, respondebo, paucos in Nova Zelandia reperiri qui vites colere atque inde vinum parare consueverint. Vinum enim quod vulgo bibitur ex Australicis praelis pressum, vix horreis optimis dignum iudicaverim: solum autem vitium culturae aptissimum. In Australia ipsa multas vini species haud spernendas invenias: sed harum quae optimae videntur in Australia ipsa consumuntur, nec trans mare vehuntur. Simili modo olivarum cultura illic negligitur, e qua tamen reditum certum augurari ausim, si quis huius culturae sciens se operae dedisset. Italicos colonos ipse in terris Australibus vidi: patientiores operis nullo modo invenias. Cibo paucissimo contenti, morborum praecipue immunes, se totos labori dedere solent. Hanc vero habent culpam, quae maxime illis obest, quod inviti cum aliarum gentium hominibus se consociant, et inter rixas sica vel cultello grassari consueverunt. Anglis vero, qui naturam secuti pugnis, ubi occasio adsit, utuntur, immane hoc facinus et carcere puniendum videtur.

Quod pro miro habeas, in insula de qua loquimur nulla animalia nisi volucres inventa sunt; hodie autem ibi videre est quotquot genuit Europa, omne animantium genus. Ex his cuniculorum tribus pestem maximam agri cultoribus inflixit: multa iugerum millia videas plane deserta, neque aliam ob causam, quam quod homo cuniculis congredi imparem se praestiterit. Qui cuniculos eiecerit, is vere parens patriae dignus erit nominari.

H. A. Strong.

ARCENDAE EBRIETATIS RITUS
APUD MAIORES

FATENDUM est, maiorum exempla haud ea ferme esse, quae potissima ad vini temperantiam suadendam valeant; contra immo a cibi potusque ingluvie non facile eos abstinuisse, et modos usque tentasse omnes quo, absque valetudinis detrimento, maxima haurirent. Haec, ne dissitis nimis exemplis utar, ex ipsius Horatii carminibus facile eruitur, qui et hieme rigida, et fervida aestate, vel miti vere, vel vinifero autumno nonnisi ad bibendum semper nos invitat, ita ut, etsi non omnia, pleraque tamen eius carmina Libero sacra videantur: quorum profecto epistola V libri I ad Torquatum sublime monumentum est.

Hoc itaque ritu utentibus, et intemperantis cibi potusve facile detrimenta quam gravissima expertis, omnis medicorum nisus in id contendit, non ut parcam mensam et frugalem parandam suaderent, sed ut ebrietatis infestos exitus vel praecaverent, vel saltem lenirent.

Itaque epulaturis multa praesumenda proponebantur, ut quam plurimos vini cados impune potarent, et primum aqua vel siliquastri aut piperis aromatibus vel caseo merum temperabant. Adhibebantur ad rem pariter mel vel oxymelle, quod (iuxta Plin. XXIII, 2, 29) hoc modo praeparabant: « Mellis minas decem, aceti veteris heminas quinque, salis marini pondere libram et quadrantem, aquae marinae sextarios quinque pariter coquebant, decies defervescente cortina; atque ita diffundebant inveterabantque ». At condiebant etiam vina et resinam vel similia immiscebant, iuxta Vegetii in veterinaria praeceptum (2, 48): « Calcem vivam vino subigito ad crassitudinem oxymellis ».

Florum etiam coronis, myrti praecipue ac rosarum, ad mitigandam vel arcendam ebrietatem multam esse vim existimabant, ita ut et sibi circa caput, colla lumbosque, et crateribus cyathisque cingere eas assueverint.

Admiscebant vino saepe ac ipso in mero corollas infundebant, ut lenius cerebro esset ac odoratius, vocabantque tunc illud « rosatum », cuius praeparandi ritum satis explicat Lampridius (*in Elagabal.* 19): « Quinque libras rosae pridie purgatae in vini veteris decem sextarios mergebant, et post triginta dies decem despumati mellis libras adiiciebant. Elagabalus immo pineas attritas admiscere solitus est ».

Nec satis: in remediis enim, quae ad arcendam ebrietatem praesumebantur, praecipuum locum gemma tenebat amethystus, quam profecto, etsi veluti amuleto ad rem pollere suspicaremur, superstitionis notam vitare non liceret. Hanc igitur vel collo suspendebant vel adiiciebant vestibus, vel in pulverem redactam, vel etiam integro lapide hauriebant, vestibusque eius colore fucatis in conviiis hac de causa utebantur.

Quam abditam gemmae virtutem ipsum nomen satis pandit, a graeca voce μεθύω et α privativa, quasi « non inebrians », usurpatum, quia usque ad vini colorem non accedit; « priusquam enim [quis] degustet in violam desinit fulgor » (1). Erat immo pari ratione ἀμέθυστον genus quoddam vini appellatum, de quo haec Columella habet (2): « Inerticola tamen nigra, quam quidam Graeci amethyston appellant, potest in secunda quasi tribu esse, quod et boni vini est, et innoxia: unde etiam nomen traxit, quod iners habeatur in tentandis nervis, quamvis gustu non sit hebes ».

Porro lactucas, brassicas, rutam, ceterosque amaros sapores, qui ex amygdalis, ex persicorum nucleis, ex crocis, ex lupulis exprimuntur, ante libationes pariter sumebant; ex ruta vero vinum condiebatur, quod « rutatum » Plinius dicit (3).

Verum herbis his omnibus, quae diuretica via temulentiam expellere reapse valebant, inutilia saepe remedia aequabant metalla vel gemmae, quae inter aurum et amethyston, quod supra vidimus, potissimum locum tenebant.

Sed et pumicem etiam haud raro in pulverem redactum deglutiebant, ut libatum deinde vinum prompte hauriret, et cum utillime ad vini vapores temperandos aquam inter cyathos bibendam suadebant, contra de clitorio quodam lacu in Arcadia fabulabantur, cuius undae, vix potae, abstemios faciebant.

Haec vero ut ebrietatem caverent maiores: at, postquam ea laborare coepissent, varia admovebant, variisque, ut ab ea convalerent, utebantur; ante omnia vomitionem ciebant, acetum aquae tepidae mixtum sumentes, vel perfusas aqua vittas capiti cingebant, vel in frigido balneo sese statim mergebant, quod et in Persii carminibus memoratur:

Haec sancta ut poscas, Tiberino in gurgite mergis
Mane caput bis, terque et noctis flumine purgas.

Brassicarum pariter, vel hederae folias capiti imponebant, vel unguentis fricabant, vel aptis suffimentis expiabant, parabantque decocta ex lactucis, hordeo vel frumento, aut vix tepida sugebant.

Quid tamen? Haud perraro accidebat, ut praeceptum ex Graecis usurpantes, οἴνῳ τὸν οἶνον ἐξελαύνειν, vinum vino pellerent. Utrum vero res prospere succederet in incerto est, praeterquam quod dicere velis, provocato tandem tantis libationibus somno, obrutos veluti gravi morte cadere, sequentique mane, praeteritae ebrietatis nullis vestigiis, renovata valetudine, surgere.

LAELIUS.

(1) PLIN. XXXVII, 9, 50.
(2) III, 2 a med.
(3) Cf. PLIN. IV, 16, 19.




Hierosolymae urbis prospectus.

DE MEMORIIS APOSTOLORUM PETRI ET PAULI
IN URBE ROMA (1)

ECCLESIAM S. Pudentianae in vico Patricio inter Viminalem et Exquilinum et ecclesiam aliam S. Priscae in monte Aventino domos fuisse, in quibus Petrus liturgicam habuit synaxim, pervetusta et constans asserit traditio. Ad alteram quod attinet, nomen ipsum illius Priscae servat nobis, de qua in Actis apostolorum et in epistola Pauli ad Romanos agitur, ubi de « ecclesia domestica Aquilae et Priscae » sermo est (2). Titulus autem antiquissimus in vico Patricio ideo « ecclesia Pudentiana » appellabatur, quia in domo ipsa familiae Pudentis constitutus; et monumenta pervetusta ibi olim exstabant, quae ad Petri apostoli memoriam referri debent. Quin imo inter titulos Viminalis et Aventini montis relationem quamdam fuisse inscriptiones ipsae nobis indicant; et hypogaeum sepulcrale, duobus titulis commune, pervetustum coemeterium Priscillae iuxta viam Salariam fuisse, aevo apostolico iam effossum, Rossius noster demonstravit (3).

Cum Pudentianae ecclesiae historia etiam sedis ligneae sancti Petri memoriam recentiores quidam scriptores coniungere enixi sunt; sed hoc omnino arbitrarium et argumentis prorsus destitutum iudicari debet. De sede enim hac lignea, quae hodie in Vati-

(1) Cf. huius commentarii num. super.
(2) « Salutate Aquilam et Priscam... et domesticam ecclesiam eorum »; S. PAUL. *ad Romanos*, XVI, 3-5.
(3) *Bull. d'archeol. crist.*, 1867, pag. 45.



Frons ecclesiae S. Pudentianae, Romae.

cani templi abside summo honore colitur, hoc tantum compertum habemus, eam saeculo quarto, Damasi scilicet temporibus, in baptisterio basilicae Vaticanae servatam esse; et fortasse prope venerandam illam apostoli memoriam Damasus ipse versiculos illos inscribi mandavit:

VNA PETRI SEDES VNVM VERVMQVE LAVACRVM.

Sed de primaeva cathedrae illius historia nihil prorsus innotescit.

Attamen sedem alteram eiusdem apostoli in Urbe in honore fuisse vel materialem, vel probabilius moralem et praedicationis ipsius quasi memnosynon, antiqua nobis documenta testantur. Et sedes haec, « ubi prius sedit sanctus Petrus », una cum fonte baptismatis eiusdem apostoli in pervetusto coemeterio, cui *Ostrianum* est nomen, prope viam Nomentanam, quinto iam saeculo colebatur. Cuius insignis monumenti indicium aliquod viginti duo ab hinc annis in criptis eiusdem coemeterii in lucem prolatum fuit.

At non tantum in criptis et in hisce antiquis basilicis memoriae apostolorum in Urbe habentur, sed etiam in loco civitatis ipsius celeberrimo, scilicet in medio Romani Fori, nomina eorum posteritatis venerationi tradita sunt.

In carcere illo antiquissimo, quem « ad terrorem increscentis audaciae », ut Livius ait, Ancus Marcius exstruxit, Petrum ante martyrium mansisse vetusta refert traditio, quae in Actis sanctorum Processi et Martiniani iam ut pervulgata refertur. Quam indicationem *Itinerarium* etiam celeberrimum *Einsiedlense*, saeculo octavo conscriptum, exhibet, in quo legitur: « Fons sancti Petri, ubi est carcer eius », ut iam diximus. Quae indicatio ad carcerem Mamertinum in Foro, non ad Ianiculi verticem spectare ea etiam ratione dicendum est, quia traditio in Actis sanctorum Processi et Martiniani consignata saeculo octavo profecto notissima iam erat. Et cum hac romanae captivitatis memoria nexum illa etiam habet arctissimum, quae de *vinculis* ipsis apostolorum principis huc usque manet. Et basilica Eudoxiana in Exquiliis posita, quinto tantum saeculo instaurata, sed longe antiquior fuisse videtur, eaque fortasse vetustissima ecclesiarum omnium, in Urbe, iuxta Martyrologium Hieronymianum, Petro dicata.

In ipso Foro et prope viam Sacram, prouti Acta apocrypha et Gregorius Turonensis testantur, portentum illud celeberrimum evenit, mortis scilicet Simonis, qui ante conspectum Petri de excelso corruens spiritum emisit; quapropter oratorium ibi octavo saeculo exstabat « in silice ubi cecidit Simon Magus », non longe ab ecclesia Ss. Cosmae et Damiani. Monumentum sane mirabile, quod in theatro nobilissimo romanae historiae, ubi fundationis ipsius Urbis tot memoriae exstant, Romulum ac Petrum, duos Urbis, ethnicae et christianae, conditores quodammodo sociabat!

At quid de his postremis et de aliis apostolorum memoriis dicturus sum?

Quamvis non satis documentis historicis innixa, haud tamen ea despicienda nobis sunt. Itaque iam ab antiquissimis temporibus historia illa pervulgata erat, iuxta quam Petro de Urbe egredienti « fasciola cecidit in via Nova »; ac postea Dominus ei visus est dicens: « redeo Romam, ut iterum crucifigar » (1). Sed his fugaciter dictis, de aliis minus probatis et omnino incertis prorsus sileam.

Restat, ut de antiquis apostolorum imaginibus aliquid innuam.

Imagines apostolis ipsis omnino aequales, ignotae hucusque nobis sunt. Attamen typum quod iconographicum appellant, de quo antiqui etiam scriptores verba fecerunt, semper Romanam Ecclesiam servasse certum est dicendum. Typum enim unicum et in duobus apostolis plane distinctum monumenta omnia venerandae antiquitatis sive in picturis, sive in anaglyphis, aut in opere musivo constanter nobis exhibent.

Inter haec vetustissimum iudicandum est (et fortasse secundi vel tertii saeculi) aeneum discum quod in commentarii huius superiore numero exhibuimus: hoc enim artis adhuc florentis indicia praebet, et in antiquissimo Domitillae coemeterio, in via Ardeatina, repertum fuit, ubi gentiles Titi et Domitiani Caesarum sepulcra habuerunt. Quapropter museum sacrum bibliothecae Vaticanae illud, ut maximi pretii, cimelium servat.

At nimis prolixus sermo evadet, si picturas omnes et sarcophagorum sculpturas apostolorum figuris insignes describere in animo sit. Hoc tantum non est praetereundum, non separatim imagines apostolorum Petri et Pauli, sed prope constanti more inter se coniunctas monumenta Romanae Ecclesiae fideliter praebere. Factum magni prorsus momenti ad opus commune duorum apostolorum in Romana Ecclesia fundanda luculenter evincendum!

De statua autem aenea Petri apostoli, quae in Vaticana basilica asservatur, id tantum dicam, eam, contra universalem consensum, nuper Vickoffium mediae aetatis arti tribuisse; hanc vero sententiam plerosque doctos viros reiecisse. Vaticanum enim venerabile simulacrum notas omnes antiquitatis procul dubio exhibet, idque saeculo post Christum quinto conflatum credibilis opinio est.

De adventu Petri in urbem Romam historia universa loquitur, ita ut nunc plerique, qui olim narrationem illam fabulosam prorsus existimabant, a suo iam errore recesserint. Ceterum non *argumentis* hisce tantum *archaeologicis* de memoriis apostolorum freti, eventum illum tanti momenti scriptores catholici demonstrare praesumunt, sed *historicis* potius *documentis* innixi. At fatendum procul dubio ab adversariis est, memorias illas certiores, ut sepulcra eorum veneranda et complexum ceterarum omnium, traditionem perpetuam de apostolica Romanae Ecclesiae fundatione luculenter testari.

Memoriae igitur istae, omnes simul collectae, Ecclesiam Romanam « antiquissimam et maximam » omnium Ecclesiarum esse, ut Ireneus scripsit, evincunt; illam matrem et caput totius orbis christiani, consensu omnium gentium, esse confirmant.


H. Marucchi.

(1) Cf. *Acta apocrypha sanctorum Petri et Pauli* et *Acta sanctorum Processi et Martiniani*. Ob eius rei memoriam, prope viam Novam, ecclesia aedificata fuit, cui nomen « titulus Fasciolae » (hodie « Ss. Nerei et Achillei »); et iuxta viam Appiam oratorium conspicimus iam antiquitus nuncupatum « ecclesia ubi Dominus adparuit »; nostris vero diebus, « Domine, quo vadis » vulgo dicitur.

MAXIMUM INTER ANIMALIA BRONTOSAURUM

In republica Wyoming, quae pars habetur foederatarum septemtrionalis Americae civitatum, W. N. Reeder, in Womingensi studiorum supremo athenaeo magister, hoc immensum fossile invenit.

Dynosaurûm familiae adscribitur, at congeneres longe supereminet suos; hinc non *dynos* (terribilis) *sauros* (lacerta), sed *bronte* (tonitru) *sauros* (lacerta) appellatur. Guttur enim eius inter septem et octo metra productum, impositum, insertumque corpori duo de triginta vel duo ac triginta metris longo, vastoque in proportione, ut a solo triginta et ultra pedibus emineret, tali pollere



S. Prisca in colle Aventino, Romae (Ex antiqua tabula aere cusa ab Ios. Vasi).

voce debebat, ut, sive rugiret, sive raucaret, muros urbis cuiuscumque quateret, et, siqua in fenestris vitra, contereret, vallibus montibusque longe fremitu reboantibus.

Pondus eius quatuor et quinquaginta millia chilogrammatum aequabat; solum ipso incedente tremebat; vigesimam sui ponderis partem quotidie voraturus (haec enim est ratio quotidiani victus in bestiis), mille et septingenta chilogrammata carnis comedisset, nempe novem optimos pinguesque tauros quotidie, quorum singuli trecenta chilogrammata aequarent.

Nulli hominum vis ad sublevandum a solo immanis belluae vel minimum os.

Ossea eius crates, nunc saxea, decem et octo millibus chilogrammatum pondus est. Femoris os, duobus metris ac quinquaginta centimetris altum, columnae marmoreae par habetur, et quodlibet simulacrum sive lapideum, sive aeneum impune ferret impositum.

Humeris eius quadraginta homines commode insederent, venter domicilium satis amplum familiae cuivis duceretur, honesteque degerent in cubiculis propriis parentes et filii, ibique in familiaribus negotiis gerundis nullis versarentur angustiis.

Quid autem de ore immani, rictuque horribili? Quid de dentibus truncatarum seriei columnarum similibus? Quid de unguibus digito cuique adiectis, quorum singuli, imbricati qui sunt, vel quatuor homines, unum post alium, configerent ac transfossos tenerent, nisi quod humani corporis latitudo latitudinem unguis ultimam inique reciperet, ac truncaretur?

Non arbor, non turris, non moenia irruentis sustinerent impetum belluae, vel aliquo modo cohiberent.

Quam opportune deletum genus, ad quod expugnandum ferreae pilae pyro-balistarum nostrarum frustra loricatum squamis corpus percusserint!

Et nunc Reeder ille totus est, ut adiacentibus circa terris, lapidibus, sabulis infinitum, immensum mole corpus liberet, fossorum et scalptorum exercitu advocato.

At quot vehiculis et vectoribus, quantaque via opus erit, ut ad urbem inducat! quanta ibi aula ut moles illa contineatur, ut circum libere aspiciatur, ut, debita distantia data, oculis accipiatur!

An est hic Beemoth ille ingens, de quo apud Iob loquitur Deus?

H. De Vecchi-Pieralice.

EPISCOPORUM AMERICAE LATINAE CONCILIUM
IN URBE CONGREGATUM

Americani Concilii sessiones maxima quidem diligentia et assiduitate peractae, solemni ritu, die huius mensis Iulii IX, absolutae sunt. Quae in iisdem sint expensa atque in disceptationem vocata, uti par est, arcani lege vinciuntur. Publici tamen iuris his diebus factae sunt litterae, quas Patres ad SS. D. N. Leonem PP. XIII, Concilium instituentes, miserunt, itemque responsum, quod litteris in forma *brevis* ipsis Summus Pontifex inscripsit. Eas hic referimus.

Porro Episcoporum epistola ita se habet:

Beatissime Pater,

Episcopi Ecclesiarum Americae Latinae, plenario Concilio hesterno die rite auspicato, unanimi consensu emisere votum sese sternendi ad Pedes Sanctitatis Tuae, petituri Apostolicam benedictionem antequam negotiis in Concilio tractandis manus admoveant.

Antistites Americae Latinae iure gestiunt grati animi sensus iterare Sanctitati Tuae ob curam praecipuam quam ostendit erga ipsorum Ecclesias; maximeque gaudent quod, remotis ac superatis omnibus quaecumque obstare videbantur, potuerint consiliis Sanctitatis Tuae sapientissimis respondere, atque ita haud mediocre solatium afferre Patri amantissimo, seque instrumenta fieri quodammodo novae addendi laudi Pontificatui Tuo, iam plane glorioso, quod primum nunc viderit collectum Plenarium Concilium ex latinis Ecclesiis Americae.

Quod vero locum habendo Concilio Romam Episcopi elegerint, illud etiam prae oculis habuerunt, ut obsequii testimonium Apostolicae Sedi peculiare exhiberent, ut Sanctitati Tuae ipsi se sisterent, ut ad Apostolorum sepulcra eam sapientiam haurirent, qua magis idonei efficerentur in iis decernendis quae ad rem catholicam in suis regionibus provehendam apprime pertinerent.

Faxit Deus ut a Nobis susceptum opus possit Sanctitatis Tuae consiliis et propositis respondere, Eidemque probari, ut uberes religioni afferat fructus, cuius ab incremento ipsius civilis societatis prospera conditio maxime pendet.

Hanc nacti occasionem iidem Antistites gratias Sanctitati Tuae agunt maximas, quod hoc benevolentiae testimonio eos fuerit prosequuta, ut S. Romanae Ecclesiae Princeps Cardinalis daretur *praeses ad honorem* habendis publice comitiis, itemque quod Archiepiscopos Americae latinae voluerit singulis sessionibus praeesse, eosdemque, dum sua quisque vice hoc munere fungitur, Delegati Apostolici honore insignitos haberi.

Ecclesiae Americae latinae Episcopi Deo supplices fundunt preces, ut velit quam diutissime tueri ac servare Sanctitatem Tuam, cuius in Pontificatu maximo regimen id spectavit constanter, ut novum quoddam vitae robur adderetur gentibus, quod quidem non aliunde exspectari potest, nisi ex reditu ad principia illa sanctissima, quae tot Apostolicis Litteris summa sapientia conscriptis Sanctitas Tua commendavit ac retinenda praecepit, ex arctiore in dies cum Sede Apostolica coniunctione, erga Eum denique qui Christi in terris vicem gerit, stabili obsequio atque firmissimo.

Sanctitatis Tuae
Humillimi et Obsequentissimi Filii, *etc.*

Pontificiae autem litterae sunt quae sequuntur:

LEO PP. XIII

Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam benedictionem. Concilium plenarium vestrum, dudum exoptatum, diutinisque curis dispositum, coactum demum esse et vos iure laetamini et Nos cummaxime gratulamur. Eadem autem Nobis vobisque laetitiae capiundae ratio: de coetu enim vestro spem optimam portendimus universi, quod uberrimas utilitates Americae latinae populis sit pariturus. Qua quidem spe eo Nos firmius tenemur, quod et alacritatem perspeximus, qua, licet tam longe dissiti, Romam quisque vestrum libens convenit, et concordiam summam mirati sumus, qua, diversitate gentium posthabita, operam laboremque Concilii tractationibus unanimes impenditis. Accedit porro ad fiduciam Nostram firmandam studium et obsequium in Apostolicam Sedem, quae in ipso Concilii exordio testari placuit, datis ad Nos litteris officii observantiaeque plenis. Ex qua profecto coniunctione vestra cum Cathedra Beati Petri amplissima divinae gratiae subsidia coetui vestro demeretis, ut quae secundis adeo auspiciis sunt coepta, secundissimis etiam eventibus absolvantur. De benevolentia autem Nostra, Venerabiles Fratres, nihil plane est quod dubitetis: eam praestitimus, quum, magna animi iucunditate, singulos alloquuti sumus: praestitimus etiam, quum, ad augendam conventui vestro dignitatem, aliquot e Cardinalium Collegio in publicis comitiis praeesse ad honorem permisimus. Eius praeterea testem Apostolicam benedictionem esse volumus, quam, munerum caelestium auspicem, vobis univers's amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXIII Iunii MDCCCXCIX, Pontificatus Nostri anno vicesimo secundo.

LEO PP. XIII.

Favor et misericordia acres primos impetus habent; paulatim ratione et consilio quasi restincta concidunt.

(Plin. Iun. *Epist.* lib. 2).

Laudare se, vani; vituperare, stulti est.

(Val. Max. 7).

VITA FUNCTI VIRI CLARIORES

Felix Harmel, notissimi illius gallici viri popularis filius, patris vestigia iam optime sequebatur, ut dignum in opificum caritatem haeredem praenoscere fas esset, cum Warmeriville morbo correptus brevi decessit magno bonorum luctu.

Jehin-Prume fidicen clarissimus, qui, in Belgica ortus, postquam orbem longe lateque ingenti plausu peragravit, tandem in septentrionali America moratus est, Montreal in urbe Canadensi maturam mortem oppetiit.

Guilelmus Sourrieu cardinalis, archiepiscopus Rothomagensis, qui naturae concessit die XVIII superioris mensis Iunii, mitem animum cum fortitudine curaque honoris et gloriae Dei sociavit; quibus tanta gratia apud omnes floruit, ut ad eius nutum quodvis partium studium deficeret, insigniaque opera excitarentur.

Franciscus Schönborn, cardinalis et ipse, archiepiscopus Pragensis, nobili genere natus, nomen primum militiae professus est, proelioque ad Sadowa interfuit dimacharum agminis dux, ibique strenue pugnans interemptus esset, nisi fidus miles quidam pro eo caput vovisset. Armis deinde positis, se sacris addixit et civiles atque ecclesiasticas laudes non minus quam bellicas, universorum consensu, sibi comparavit.

Raphael Tristany, iberus imperator sub Carolo rege, senex Lapurdi mortuus est, ubi, post exactam vitam periculorum plenam, pacem in Deiparae Virginis pietate quaesiverat.

Victorius Cherbuliez, qui recens Lutetiis Parisiorum obiit, commenticiis fabulis itemque argutis disputationibus famam praeclaram inter Gallos scriptores sibi adeptus est.

Franciscus Vespignani comes, septem et quinquaginta annos natus, Romae placida morte quievit kalendis Iuliis. In Urbis municipio Catholicorum principatum multos annos tenuit, eorumque iura fortiter tuitus est; sed tamen adversariis omnibus imprimis gratiosus fuit. Architecturam exercens multa edidit peritiae suae monumenta, inter quae miranda perstant Lateranensis absidis, aularumque, quae *Borgianae* nuncupantur, in aedibus Vaticanis renovatio.

C.

FRUSTULA

De mense Iulio.

Mensis, omnium fervidissimus, Quintilis ab Romanis patribus primum est appellatus, quod ordine quintus a Martio: deinde vero, legem ferente M. Antonio M. F. consule, cum divus Iulius IV eius mensis idus natus esset, Iulius in eius honorem est dictus. Mensem itaque Iovi deorum maximo dicarunt, eratque eius kalendis mos domus conducendi, uti ex Suetonio (*in Tib.*), ex Martiale (*Epigr.* lib. XII), exque ipso Cicerone edocemur, qui ad Quintum fr. scribens: « Domus », inquit, « tibi ad lucum Pisonis Liciniana conducta est; sed, ut spero, paucis mensibus, post kal. Quint., in tuam emigrabis ».

Ludi et festa mensis Iulii apud Romanos.

Apollinares ludi primi per mensem, V non., apud Romanos occurrebant, in honorem Apollinis; qui etsi e Graecis deducti viderentur, quibus ob ipsum Μεταγειτνιών Iulio mensi nomen, voti tamen sunt bello Punico secundo, victoriae implorandae gratia; cumque singulis annis in posterum haberentur, certum tempus iis non erat, quoad, lege lata a Publio Licinio Varo, praetore urbano, ad hos dies sunt statuti.

Insignia pariter erant Vitulae deae sacra, quam, in libro quodam de diis scripto, tali vocari nomine accepimus, quia laetitiae numen praeesset; vocabantque etiam maiores *vitulam* victoriam; cuius rei hoc Piso profert argumentum, quod postridie nonas Iulias, re bene gesta, cum pridie populus a Tuscis in

fugam versus fuisset, facta est certis sacrificiis pro victoria *vitulatio*, atque in posterum constituta. Memoriae vero illius fugae suis feriis recolebantur, quae *populifugia* nomen acceperant.

Neque dissimili eventu *Lucaria* festa parta fuerant, ex luco dicta, in quo, latitudine densaque umbra insigni, inter viam Salariam et Tiberim illa agebant Romani, hoc ipso quod, ad Alliam flumen a Gallis victi, fugientes a proelio ibi sese occultaverant.

Has vero ferias proxime aliae sequebantur in dei Summani honorem, quod nonnisi Plutonis cognomentum est, quasi *Summus Manium*; a qua tamen sententia Ovidius poeta (*Fast.* VI, 731) dissentit, meminitque nomen illud incerti alicuius dei:

Reddita, quisquis is est, Summano templa feruntur.

♆

De ludis Circensibus.

At maioris momenti *Circenses* ludi erant, quibus circa *Iulii* mensis idus initium. A Romulo instituti ferebantur, cum iidem ac Neptuno equestri Consuales, ad virginum raptum indicti, putarentur, et in campo Martio primum acti, suum nomen accepisse, cum priscus Tarquinius in valle Murcia circum exstruxerit. Ludorum Circensium sex potissimum genera: cursus, lucta seu certamen gymnicum, ludus Troiae, venatio, pugna equestris et pedestris, naumachia, de quorum praecipuis videre est graphica descriptio in Vergilio (*Aen.* V). Praesertim tamen Circensium appellatio equorum cursibus adhaesit, quibus supra fidem et modum Quirites delectabantur.

Vel curribus vel equis currebant; et equis quidem vel singularibus, vel desultoriis, cum ipso in cursu ex uno in alterum transilirent sessores. Hi in quatuor *greges* seu *factiones*, uti aiebant, divisi, ex vestium colore, non aliter ac nostris etiam diebus fieri solet, distinguebantur: erat itaque factio alba, russata (id est rubri coloris vestibus induta), veneta, prasinaque, quarum altera caeruleo, altera viridi amictu utebatur; erant denique et aurata et purpurea a Domitiano imperatore adiectae; quae omnes in contraria studia populum scindebant, ut sponsionibus etiam certaretur. Ecquis vero eorum qui legunt dubitet, quin seri nepotes in hoc saltem haud degeneres evaserint?

♆

Currendi ratio apud maiores.

Currendi autem ratio haec fuit: curribus ante ostia, quibus *carceres* nomen, unde emittebantur equi, eo ordine stantibus, qui sorte obtigerat, ludorum praeses *mappa* vel *panno* signum cursui dabat. Tum statim *Hermulorum* dimissa *catenula* ante carceres extenta, ne equi antea excurrerent, a dextera circi parte, circum columnas sive pyramides illas, quae in extremo illo muro latericio, sive *spina*, caveam secante surgebant metaeque appellabantur, arctissime sinistram versus effundebantur; qui vero primus curriculum illud septies absolvisset, victor renuntiabatur. Praeterea ne in curriculorum numero error incideret, ex septem *delphinibus* (et hoc quidem, quia ludi Circenses primum, uti superius diximus, in honorem Neptuni, cui haec animalia sacra sunt, fuerunt instituti), vel *ovis ligneis* columnis in spina stantibus impositis, unum quoque curriculo tollebant, vel, uti Cl. Graevius testatur, iisdem columnis imponebant. Missu tandem absoluto, auriga in spinam desiliebat, cumque a praecone victor esset citatus, praemium saepe ingens, idque etiam numerata pecunia accipiebat.

♆

Utilia.

Aura domibus perpetua et salutaris.

Vultisne domum, his praesertim diebus dum maxime caletur, purissimo iugiter aëre recreatam? In manibus est. Audite.

Vitra suprema in fenestris duo hoc ordine ponetis, ut in campo lucis supremae unum post aliud disponantur, et quod ad extra est, ne descendat in sulcum plumbi vel ligni, sed distet a sulco circiter centimetrum; vitrum autem quod interius est in sulco ligneo vel plumbeo insedeat, haereatque; ad spatium vero ligni superioris ne pertineat, sed sit ipsum pariter centimetro minus. Necesse est insuper, ut intercapedo centimetri sit inter vitrum exterius et interius in crassitudine ligni, per quam intercapedinem externus aer purus iugiter transit ab imo intrans, et intus in cubiculum immittitur, quia suprema pars vitri interioris non porrigitur ad summum ligneae cratis.

Igitur diversitas caloris, quae habetur in aëre externo et interno, perpetuum ciet, stimulatque motum, qui, cum unice sit in suprema regione cubiculi, dum saluti non officit, aerem purgat, reficit, et oxygeno restaurat.

♆

Iocosa.

Villicus quidam, qui spiculo canem eum mordere studentem interfecerat, in iudicium a canis, domino est deductus. Cum autem suae vitae custodia factum purgaret, iudex: « Curnam, ut te defenderes, spiculi capulo usus potius non es? »

Cui villicus: « Atqui fecissem », respondit, « si canis me cauda potius quam dentibus morsu contendisset ».

FORFEX.

ANNALES

Iberorum et Belgarum seditiones – Transvaaliani belli minae – Sinenses res – Hagani de pace conventus statuta – Bellum ad Philippinas – Dreyfusiana.

PRAECIPUI inter horum dierum eventus seditiosi motus fuerunt, qui in Belgica maxime ac in Iberia publicam quietem perturbarunt. Iberorum namque populus oratione illa a Villaverde, aerarii praeside, recens habita concitatus, qua tot ac tanta in res privatorum constituenda esse vectigalia praenunciabantur, palam per civitatum plateas vicosque ad clamores primum, deinde ad lapides armaque confugit. Miseranda haec potissime urbes viderunt Madritum, Barcinona, Valentia et Caesaraugusta; Valentiae imo et Caesaraugustae valla ac propugnacula huc illuc a seditiosis turbis instructa, viva armorum vi aggredi oportuit, atque a militibus superari; fueruntque inter ea plures plebeii aliquotque etiam milites igneo plumbo vulnerati et ad necem perducti. Barcinonae autem sectariorum consilia, inter civiles motus abdita, impiis conatibus palam sese ostenderunt; non semel enim nec bis, arrepta tumultus occasione, clamantes turbae ad ecclesias et collegia praecipue Patrum e Societate Iesu perductae sunt, lapidesque in ecclesias atque in scholarum fenestras coniecti. Madriti denique turbarum convenientium clamores ad altam usque noctem insonuerunt, et ad viarum muros frequenter seditiosae tabellae appictae inventae sunt, quae ad arma cives concitarent.

✱

In Belgica nulla alia fuit perturbationum causa nisi statutariae, quam dicunt, legis ineunda reformatio, quam quidem alii rigidiori iure instaurandam putant, alii vero latiori aequitate ut eligendi popularium oratorum suffragia cuivis ex plebe condonentur. Agitabantur haec multo iam tempore in publicis comitiis ac in senatorum coetu; cum vero postremi huius consilii fautores iniquum sibi praelium evasurum praenovissent, seditiosos omnes civium ordines turmasque socialistarum, habitis huc illuc concionibus, concitarunt, publicasque supplicationes et quasi clamantium pompas per civitatem ad protestationem perduxerunt. Haec procul dubio civilis belli proximae minae sunt; at maiora in Bruxellensi campo Martio recens contigisse audivimus, ex cohortibus triariorum, quae ad plura millia adnumerantur, et domesticam veluti militiam constituunt, multos seditioso hoc spiritu passim esse perfusos, ita ut in postremis habitis recensionibus suam fidem animique sensus non licitis ferme signis declarare non dubitaverint. His municipes viros syndicosque deterritos, regem adiisse novimus, ut popularium petitionibus aliquantulum indulgendum suis administris suaderet, quo nuncio veluti parta iam victoria turbulenti cives gavisi sunt.

✱

Transvaalianae etiam res graviores in dies fiunt; Krüger enim reipublicae praeside rigide obstante, ne anglicis petitionibus quid legislatores concedant, Anglorum irae succensae quasi ad bellum videntur, ita ut quotidie militum tormentorumque expeditiones ab anglicis portibus ad ultimam Africae coloniam proficisci audiantur. Uitlanders namque collegia petitionem aliam nuperrime emiserunt, qua cuivis in Transvaal quinto saltem anno commoranti electionis exercendae ius adscribi expostularetur; insuper religionis ac edendorum scriptorum libertas, atque anglico batavicoque idiomate ad publicas res utendi facultas. Quibus postulatis licet Joubert dux, vicepraeses, inclinare videatur, Krüger tamen omni nisu obstat.

Neque satis; belli enim minae finitimam iam Orange rempublicam ita pervadunt, ut Praetoria in urbe Steijn praeses coetum oratorum Volkoraad dimittens, belli fautores facilem controversiarum compositionem stulte equidem impedire affirmaverit: quodsi eam impossibilem reddidissent, futurum ut reipublicae fata Deo committerentur.

✱

In Sinensium interim imperio nova eaque periodica contra Europaeos crimina tentantur: Mengetsa enim in urbe, in provincia Yu-nam, gallici legati aedes incensae sunt ac direptae; quae pariter in Teng-tsu evenisse dicunt. Opifices vero, qui in fodinis Kot-siu apud Meng-tsu adlaborant, in seditionem convenerunt, ne Europaeorum ritus sit sibi ultra in effossionibus adhibendus. Et germanicis coloniis similia impendunt, cum sinenses magistratus coercendis criminibus impares omnino se esse fateantur.

✱

Ex Hagano interdum conventu circa pacem nulla tantae conceptae spei confirmatio prodiit; propositio enim de armis non tantum abiiciendis, sed non augendis, Germanorum praecipue obstante legato, frustra evasit; nec arbitratus pariter tribunal in controversias ullas lege constituere licuit, sed ad cuiusvis nationis libitum relictum est. Interea vero codex quidam arbitralis iudiciarii ritus est approbatus, moresque ac consuetudines pugnandi declaratae sunt.

✱

Belli, quod ad Philippinas geritur, nulla alia vicissitudo fuit, resque, supervenientibus pluviis, ad incitas redactae videntur, Americanorumque legiones omnes, quae circa Manilla urbem castrametatae sunt, aequum magis tempus ut praelia redintegrent exspectare coguntur. Inter haec vero extrema ac dissita quaedam Iberorum cohors, quae a Barbaris circumdata ex Baler oppido per integrum iam annum oppugnato indefessa virtute restiterat, cum tandem ad triginta et tres milites redacta sit, in deditionem venit.

✱

Sfax navigium exspectatissimum Brivatum portum appulit, ac Dreyfus dux ad militarem custodiam Rhedonum est adductus, statimque a fratre, ab uxore, a patronis visitatus. Captivi illius valetudo haud ita infirma nunciatur, prout immerito plures coniectaverant. Obortas huc illuc inter Rhedonenses contra eumdem turbae alicuius protestationes atque contumelias milites acriter represserunt. Interea Herculis Portus princeps literas ei dedit, quibus illum apud se invitat, ut post proximam, quam is pro certo habet, absolutionem, agrestibus curis reficiatur; contra vero Mercier dux coram Rhedonensi tribunali gravissima sese revelaturum spondet: quae omnia postremi sunt horribilis dubii anhelitus; hoc tandem soluto, Galliam quietem, qua eget, sibi redditurum esse speramus.

POPLICOLA.

PUBLICI PER ORBEM COETUS
LEGIBUS FERENDIS

In **Anglia** coetus municipum vectigalia de saccaro pro Indiarum gubernio approbavit, ne Europaeorum omne saccarum contra Anglos Indiam pervaderet. Ibidem pariter lex lata est, ne pueri, qui duodecimum annum nondum attigerint, manuum laboribus in officinis addicantur. Posthaec millies centena millia lib. in bellica expensarum summa aucta sunt: in senatu vero lex de mulieribus ad municipalia munera advocandis reiecta est.

In **Belgica** ne a luctis quidem ac pugilatibus per socialistas ceterosque gubernio adversarios temperatum est, ad prohibendum quominus novam legis rogationem de electionum ritu administrorum concilium in disceptationem proponeret. Ut autem animi quodammodo conciliarentur, Vandenpeereboom, administrorum princeps, eiusdem rogationis examen ante committendum nonnullis viris, ex omnibus publici coetus partibus delectis, concessit, seque promptum ad legem proferendam spopondit.

In **Brasiliana republica** Campos Salles praeses summo reipublicae concilio literas dedit, quibus redintegranda sibi publica magistratuum munera aerariumque condiciones nunciavit.

In **Gallia** novi administri favorabile suffragium retulerunt; at quaedam a Deroulède oblata propositio, de reipublicae constitutione reformanda, magno tumultu reiecta est.

In **Germanorum** Reichstag lex de desertionibus operariorum coercendis proposita est, aliaque approbata de Carolinis insulis ab Iberia emendis.

In **Iberia** schedularum aeris alieni ab aerario contracti concessa est renovatio, lexque qua argentariae mensae ibericae huiusmodi foenoris solutio addicitur, ad annum est prorogata.

In **Italia**, acrius urgente socialistarun, eorumque omnium qui in laeva sedent, oppositione, cum iterum in popularibus comitiis, ut tempus frustra tereretur, recensionem adstantium nominatim habendam illi expeterent, contraque acriter ceteris obstantibus, tumultus statim altissimus est excitatus, ut ad manus usque ventum sit, et suffragiorum urnae everterentur. Popularem itaque coetum dimittere necesse fuit: quin immo, regis decreto, est in incertum suspensus.

In **Helvetia** petitio summo concilio oblata a gubernatoribus est, ut liceat sibi ad bis millies centena millia aes alienum pro ferreis reipublicae itineribus contrahere: atque ab eodem concilio reipublicae prima argentaria mensa est constituta.

In **Hungaria** pactionis cum Austria apud oratores populi inchoatum examen comperimus.

In **Rumenia** novorum oratorum conventus regiis literis inauguratus est, quibus de agriculturae miserrimis condicionibus multa queruntur, atque legislatores ad opportunas cautelas proponendas invitantur.

In Australiana reipublica **Nova Vallia** plebiscito est constitutum, ut Australiano constituendo foederi accedatur, quod rei conficiendae optimum est; ditissimae enim rerumpublicarum omnium, quae in Australia sunt, Novae Valliae unum suffragium a ceteris iam concordibus nationibus desiderabatur, ut foedus constituere liceret, quod proinde proxime perficietur.

SCRIBA.

LUDI VETERES ET RECENTIORES

Est ubique cognitus ludus quem Itali nunc *scacchi*, Galli *échecs*, Angli *chess*, Germani *Schachspiel* vocant. Eumdem Romani *ludum latrunculorum*; Graeci πύργος; Indi, apud quos primum notum fuisse constat, *sciaturanga* nuncupavere. At fabulosis illis historiis, quae eius originem referunt, nulla est adhibenda fides, neque illum exortum credendum est, nisi prima gentis aetate, poeticis decora fictionibus, exacta; non igitur ante annum millesimum et quinquagesimum ante Chr. nat. Huiusmodi vero *sciaturanga* non bini, sed quatuor homines ludebant, quadruplicato agmine, singulis distincto coloribus, viridi nempe, nigro, rubro ac flavo: neque Indiarum fines hic ludus pertransiit, neque Indis quidem omnibus notus fuit.

Apud Romanos *calculi* etiam nomen ludo inditum, quia primum ad eiusmodi genus lapilli adhibiti sunt: deinde ex alia materia calculos fingendi mos invaluit; frequentissime ex vitro, aliquando etiam ex ebore, auro, argento. Ad triginta duorum numerus, bicolores (sexdecim enim albi, totidemque nigri fuere, vel rubri), omnes in tabula lusoria, hinc atque inde in duas turmas divisi, disponebantur, suisque regionibus lineisque conclusi; multa insuper cum arte movebantur, ne circumvenire alter alterum posset. Quod si quis ex calculis incomitatus a duobus aliis discoloribus circumveniretur, *vinci* dicebatur et *capi*; si autem duo simul, contra ludi leges, moti loco fuissent, *capi* quidem a ceteris adversariis non poterant, sed *ligari*; hoc est ita concludi, ut eos inde exire impossibile esset, fierentque ludenti inutiles. His *calculi inciti* nomen; unde vulgare illud: « ad incitas redigi ». Tres autem calculorum praecipuae species sunt adnumeratae: alii enim *ordinarii*, qui ordine, seu (ut est apud Varronem) per ordines transversos calculi agerentur, *vagi* alii, quia vage, *inciti* denique, quos modo diximus.

Huius ludi victoria in eo sita erat, ut alter alterum suis calculis omnino spoliaret, aut omnes ad incitas redigeret. Calculorum turba *milites* appellabatur; cui utrinque bini centuriones, bini elephantes, bini equites, bini satellites et octo pedites: totus enim hic ludus militaris aciei imaginem praebuit, quem propterea illi potissimum callere solebant, qui in re bellica versarentur; qui tandem superius discessisset, imperator evasisse dictus.

Media, quam dicimus, aetate, multa in ludi regulis immutata sunt: altero ex duobus centurionibus utrinque excluso, sigillum quoddam suffectum est, cui arabica voce *fazir* aut *visir* nomen fuit, qui paulatim hodiernae *reginae* iura ac vim obtinuit. Usus denique calculos movendi, iuxta iactatas ad invicem tesseras, quem apud Indorum *sciaturanga* viguisse accepimus, omnino decidit. Ceterum de regulis ludi tunc temporis receptis abundantissime in nonnullis Orientalium manuscriptis dictum est, scripsitque fuse Italus quoque, frater Iacobus ab oppido Cessole, cuius opus omnibus fere Europae linguis interpretatum ac vulgatum fuit.


Finis rei sit versibus, iisdem elegantissimis, quibus Saleius Bassus in carm. *ad Pisones* ludum descripsit:

Candidiore modo tabula variatur aperta
Calculus, et vitreo peraguntur milite bella,
Ut niveus nigros nunc, et niger alliget albos.
Sed tibi quis non terga dedit? quis te duce cessit
Calculus? aut quis non periturus perdidit hostem?
Mille modis acies tua dimicat; ille petentem
Dum fugit, ipse rapit: longo venit ille recessu,
Qui stetit in speculis: hic se committere rixae
Audet, et in praedam venientem decipit hostem.
Ancipites subit ille moras, similisque ligato
Obligat ipse duos: hic ad maiora movetur,
Ut citus et fracta prorumpat in agmina mandrae,
Clausaque deiecto populetur moenia vallo.
Interea sectis quamvis acerrima surgant
Praelia militibus, plena tamen ipse phalange,
Aut etiam pauco spoliata milite vincis,
Et tibi captiva resonat manus utraque turba.

ALPHA.

AENIGMATA

I. (Vulgo *Rebus*).



II.

Si labor et studium potis est tibi gignere *totum,*
Quid cunctare, puer?... Suscipe promptus opus.
Tempora labuntur: tibi res vanescere *primo*
Posset; nunc igitur plura ferenda manent.
Reddere sin pudeat Superis te *finis* honores,
Quidquid habere studes, non sine labe foret.

M. FUSCUS.

Ex sociis qui utriusque aenigmatis interpretationem ad commentarii moderatorem miserint intra duos menses, unus, sortitus, gratis accipiet opus gallice scriptum et figuris ornatum, cui titulus:

AU PAYS DES TURBANS
(GRÈCE, SYRIE, ÉGYPTE)
par V. BAUDOT.

Aenigmata ann. II, n. X proposita his respondent:

1. **Superandae sunt res adversae viriliter.**
2. **A-mens.**

Ea rite soluta miserunt:

Ed. Bianco; Fr. Xav. Reuss, *Roma* – Ioan. Mediolanensis, *ex pago Masnagio* – Ad. Artioli, *Ferraria* – Quint. Friulanorum, *ex sem. episc. Cupersani* – Car. Szemüller, *Sabaria in Hungaria* – Ver. Cariolato, *Vicentia* – Guil. Schenz, *Ratisbona in Bavaria* – Abr. Morchio, *Genua* – Partholan Fitz Randle, *Brooklyn in civit. foed. Americae sept.* – C. A. Strong, *Liserpalo* – Nic. Stella, *Auxano* – J. J. Dunne, *Dublino* – Ios. Capovin, *Montebello Vicentino* – P. Rioux, *Hochelaga in Canada* – E. Frachetti, *Mangalore* – Aloys. Cappelli, *Senis.*

Sortitus est praemium:

IOANNES MEDIOLANENSIS,

ad quem missum est opus, cui titulus:

LÉON XIII INTIME
ab IULIANO DE NARFON scriptum.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE – Ex Officina Forzani et Socii.

PER ORBEM

Haud felici prorsus auspicio contentos nos dixisse videmur, quod imum oceani quieti consonum saltem invenerimus, nam et **fatorum lacrimanda vis** et hominum belluinae crudelitates inaccessas has latebras aliquando etiam conturbant. Quot enim effluxerunt dies ex quo audivi puerorum miserrimum agmen, qui Oder Moscoviae flumen laeti ingressi fuerant, fataliter everso navigio, omne fuisse demersum? Neque tenellis his tantum praedis aequoreus ille Neptunus satiatus apparet; nam et ex Nare, Italo flumine, aliam nuperrime excepit. Homo (scelestorum nomen repetere vobis non est) furenti rabie succensus, binos quos genuerat puerulos in aquas proiecturus, inscia comitante uxore, flumen, prope Interamnae casum, adiit. Huc cum pervenisset, primum ex improviso brachiis attollens, in fluctus proiecit, quem praecipites gurgites secum in ruinam traxerunt; at cum et ad alterum sese converteret, exterrita uxor eius brachiis sese tenaciter illigavit, luctamque iniit miserandam, ad quam materna pietas, nescio quo herculeo robore, donata videtur. Eo usque enim pugnavit, clamavitque tanta vi, ut tandem rustici quidam audientes concurrerint. Hoc modo superstitem filium e morte defendit; at immutato statim patrocinio, parricida maritus fuit ipsi a rusticorum indignatione eripiendus, qui efferato crimine ad iram maximam commoti, et illum statim in aquas proiicere studebant. Pietate vero uxoris aliquantulum placati, hominem ad custodes in civitatem tradiderunt, resque iudicibus iudicanda nunc est.

♆

Hae vero non extremae **puerorum victimae** sunt; in Gallia enim, prope Carcassum urbem, Mariam Grillere, et Paulum Bonhaure, alteram decem, alterum vero quinque annos natum, dum in ferreis vehorum tramitibus cursu ludunt, superveniens repente vaporitraha prostravit ac miserrime confregit.

♆

Pueri tam infelici fato defuncti nullo ferme solemni funere ad sepulcrum perducti sunt; quod nullimode querimur, si ea licuerit vitare quae Vindobonae inter emi viri Schönborn **funera** vidisse contigit. Scalas lanternae in via appositas multi, ut pompam viderent, conscenderant compleverantque, ita ut, repente fractis, in inferiorem multitudinem omnes procumberent. Rumor ingens ac clamor statim excitatus, quo profecto, uti in similibus assolet, ab equis cuiusdam curriculi exaudito, belluae excitatae in fugam sunt. Multitudo statim hac illac vehementi pavore effusa discurrit, equusque militis cuiusdam, concursu deterritus, in adstantes iuvenes prosiluit atque plurimos vulneravit, quoadusque iterum fraeno continere belluas frementes licuit, ac paulatim tumultus sedare.

♆

Innocuus vero pariter **rixae** cuiusdam exitus non fuit, Kriesdorf inter operarios ferreis curribus addictos et agricolas succensa, quae immo adeo terribilis fuit, ut horum bini mucrone sint interempti militumque auxilia ad quietem restituendam illuc immittere oportuerit, qui plures reos in vincula deduxerunt.

♆

At ibidem in Austria, prope Gratz urbem, **aërei itineris infortunium**, nostro quod in superiori numero enarravimus pene geminum, eo potius quod areonauta italo nomine Merighi compellaretur. Hic itaque die mensis Iunii 27, aëream naviculam cum conscendisset, ad 3500 usque metr. altitudinem statim est abreptus. Ibi vero ob rarefactum circa nimis aerem, cum globus iam explosurus videretur, ostiolum, uti assolet, ad tutamen terebratum, audax viator fune reseravit, quod tamen ruinam imminentem explosionemque globi prohibere non valuit.

Descensus itaque citissimus coepit, globi velario vix aliqua cunctatione temperatus; cumque nec decem iam passibus a solo distaret, areonauta ex navicula in humum prosiluit, casusque impetus pedes ambos illi confregit. Ad nosocomium itaque deductus, non omnem iam eius valetudinis spem abiiciendam medici senserunt, at sui ipsius necem ab ipso tentatam fuisse arbitrati sunt, quam suspicionem chartula quaedam in eius sacculo reperta confirmavit, in qua haec conscripta legebantur: « Ob artem meam libenter morior ».

♆

Aëreae vel aequoreae tempestates multa pariter iis diebus vastarunt, quae, ne vos assueta enarrando luctuoso taedio afficiam, reticere est. Quotidie enim Iulii caloribus omnino expertes, nonnisi pluvias et atras nubes caelum occupare conspicimus. Parthenopeus autem sinus maximas omnium vidit procellas, quibus domus, viae, cauponae vastata adeo sunt, ut vigilum cohortibus occurrentibus nullum admovere remedium licuerit.

Curruum electricorum itaque intermissa itinera; opifices qui in litore labori vacabant, tumentibus undis ad mare praerepti, pueri qui sese in Sebetum demerserant, obruti pene fluctibus erant, nisi a gerulis quibusdam servati fuissent.

♆

At ex Brivatum portu piscatorias naviculas plures amissas inter recentes tempestates novimus, quamvis nullibi adeo prudens nauta repertus sit, qui eadem perspecta habuerit, quae ab americana viatrice cauta legimus.

Quae cum agitatum nimis navigium undis sensisset, a comitibus undique sciscitabatur, num aliquis inter eos procurator esset alicuius ex iis collegiis, quae vitae tutamen, uti aiunt, soluta pecunia, constituunt.

Optime enim callidissima mulier existimabat, numquam se utiliorem vel aptiorem occasionem eiusmodi ineundae pactionis adepturam, quam quae certo quasi obitu parabatur. Cui, licet invito, ut sospes portum attingeret ex animo sum ominatus, ne tam callidae prudentiae exemplar invida mors ex oculis nobis eriperet.

VIATOR.

VARIA

Beneficia etiam ferae sentiunt.

Hac celebrantes die, fausto omine, octavam centenariam solemnitatem ex quo exercitus, qui sub crucis vexillo bellum susceperat, ad Hierosolymae portas tandem adventavit, rei narratiunculam, quae eo tempore evenit, referre placet. Quum Godefridus Bulloniensis, Lotharingiae comes, apud vastae silvae egressus esset, ingentem ululatum audivit. Arrectis adstat auribus, atque vehementiorem audit. Tunc heros, quum trepidanti mente averet rem cognoscere, nulla interposita mora, haud timide processit. Breve iter confecerat, quum, oculorum acie intenta, leonem, serpentis ingentibus convolutum spiris vidit, qui gemitus effundens, iam iam moriturus erat. Leo ad se defendendum impos Bulloniensis cor movit, qui ictum serpentem in duas partes fidit; quibus excussis leo morte iam instanti liberatus est. Tunc gelidus per Godefridi cucurrit ossa tremor, metuentis, ne leo, servatorem ferocitati mactaret propriae. Omnia contra. Leo extemplo, saltim assurgens, blandeque, more adulantium canum, caudam movens, ad pedes liberatoris se contulit, neque iam poterat ab eius vestigiis dimoveri. Quin immo a multis belluis irruentibus, et hostium aggressionibus Bulloniensem fortiter defendit.

Inito bello, asperis postmodum rebus milites laborare coeperunt tum assiduis hostium aggressionibus, tum periculis in quibus semper versabantur. Ad utraque reprimenda leo maximo adiumento fuit duci. Quum olim, nocte concubia, Christianorum castra haud procul hostibus locata essent, unus ex iis frustratus custodes, ad Godefridi tabernacula iam advenerat et grave facinus patratum foret, ni fuisset vigil leo, qui statim animose assurgens, hoste dilaniato, omne removit periculum. Confecto bello, de reditu agebatur atque Godefridus apud classis praefectum omnibus contendit precibus, ut leo una cum ceteris navem conscenderet, atque apud eum obnuentem iterum iterumque instabat; frustra tamen. Ipse vero ferre non poterat leonis gemitus, quum discedere ostendebat. Quid igitur? Leone absente aut dormitante navem inscendere statuit, atque intempesta nocte, quum gravi sopore leo urgeretur, tacite invictoque animo abscessit atque vela secundis solvit ventis. Altum pelagus iam tenebant rates, et undique caelum et undique mare perspiciebatur, quum ex agitatis fluctibus eiulatus auditur gravis: leo e somno excitatus in mare se immiserat, se classem prosecuturum sperans. Omnes tunc insurgere puppi fremitu clamoribusque dissonis, prospicere, clamare, leonis gratum animum laudare; postea in indignationem versi, orare, increpare, obiurgare. Leo vero fortes eiulatus emittens, toto pectore undas findere studebat, sed virium imbecillitate, nandique imperitia, amplius procedere non poterat, donec morientem oculosque expandentem eum oceani hausere fluctus. Hoc nobile spectaculum tali modo militum animos commovit, ut nulla unquam deleverit oblivio. Vade, piger, ad formicam: tu autem, ingrate, vade ad leonem!

SALPA QUI.

✳

Ioci.

Quis fregit?

Reo sic iudex in praetorio: « Negabisne modo? Percussisti uxorem tuam, flagellasti eo tenax, ut umbellam, quam forte in manu gerebas, per caput humerosque eius confringeres ».

« Atqui », maritus ait, « quaeso, domine iudex, animadverte quod magni est. Illius umbellae pannus iam senio in frustula abierat, nec emptorem obulo invenisset. Nullius pretii umbella illa, mi iudex; pretium constituere illi supervacaneum est ».

« Homo impudens es! », exclamat Tribonianus iratus. « Non de pretio umbellae, sed de uxore, quam percussisti, accusaris ».

« Non ita; concedas, domine mi; non ita; sed ipsa uxor mea durissima miserrimam umbellam percussit. Videsne? Ipsa integra, incolumis, viva, nullo vulnere perstat, dum umbella miserrima in frustula comminuta est. Si e factis arguitur veritas, e fractis accipe, et iudica inter umbellam et uxorem. Verum, quidquid decernes, mihi semper damno erit meo; nam et mea est uxor, et umbella mea est! »

P. d. V.

T. G. FRATRUM PARISI
Candelarum ad Sacra Opificium praemiis insigne



AB ANNO 1829 CONSTITUTUM



✲ ROMAE in ITALIA ✲

In Foro Campi Martii, 6

Singulis in artium recognitionibus publice habitis maxima relata munera



Leo PP. XIII honores addidit

Lateranensi Archibasilicae, itemque Vaticanae, quoties de Beatificatione aut de Canonizatione solemne sit, suppeditat.

Praecipua Templa cereis instruit ubique terrarum. In Asiam, Africam et urbem Constantinopolim mittit ingentia rerum huiusmodi pondera, pretio *francs* 180 pro singulis 100 Chilogramm.

Si vero ab America aut ab Australia petantur onera (300 Chilogramm. *ad minimum*), pretium erit *francs* 200 pro 100 Chilogramm.



Nullo impendio iubentium res in proximiorem a petentibus designatum portum defertur.

Gratuito pariter, quae mittuntur, arca asservantur.

Cuivis quaerenti explicatio erit uberior.



FIGURAE URBIS ROMAE
ARTE PHOTOGRAPHICA EXPRESSAE
COLLECTIONES VARIAE ET NUMERO ET PRETIO
Veneunt apud comm. VOX URBIS Administrationem.

URBIS E IANICULO MONTE PROSPECTUS
(m. 1.10 × 0.24)
qui ad socios commentarii VOX URBIS dono datur, venit singillatim L. **2.50**
apud comm. VOX URBIS Administrationem.
SI QUIS PLURA REQUISIVERIT HUIUS PROSPECTUS EXEMPLARIA EA MINORI ACCIPIET PRETIO.

LE LAUDI LATINE
E
IL CANTICO DEL SOLE
DI
SAN FRANCESCO D'ASSISI

S. Maria degli Angeli, presso Assisi, tip. della Porziuncula, 1897

Hoc libello praeter venustam praefatiunculam a Paulo Sabatier viro rei longe peritissimo conscriptam, continentur *laudes latinae* cum interpretatione italica, *Canticum Solis*, necnon illa *Speculi perfectionis* capita, quae *Cantici* originem exponunt, aliaque permulta. Libellum, quem proxime alii subsequentur ad parvam *Bibliothecam Franciscanam* comparandam, **Iulius Salvadori**, litteris tradendis doctor egregius, maxima edidit cura. Romae apud commentarii *Vox Urbis* Administrationem venit L. **0.50**, in pauperum levamen.

PHILIPPUS VITI EQUES
MARMORARIUS
ROMAE — Via Alessandrina, N. 51 e 52 — ROMAE

AFFABRE SCULPIT QUAE SUNT
AD SIMULACRA, ALTARIA, SACELLA AEDICULAS
uti patet ex operibus erectis ac refectis
in Basilica Lateranensi,
Liberiana, Laurentiana extra muros, Transtiberina, Eudoxiana, etc.

Desclée, Lefebvre & Soc.
LIBRERIA CATTOLICA INTERNAZIONALE
ROMAE - Via S. Chiara, 20-21 - ROMAE

H. GRISAR S. I.

STORIA DI ROMA E DEI PAPI NEL MEDIO EVO
(Traduzione dal tedesco)
Pars I (Tria volumina):
ROMA SUL FINIRE DEL MONDO ANTICO
Veneunt Lib. **20.**

VOX URBIS
DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS
ROMAE - Via Alessandrina, 87 - ROMAE

MONITUM
Eorum omnium, qui in posterum inter commentarii socios recenseri volent, subnotatio fieri potest a superioribus kalendis Iuliis.

Ciapponi Franciscus et Soc.

OFFICINA
ANAGLYPTIS, GEMMIS CONCHISQUE CAELANDIS
PRAESERTIM IN REDDENDIS FIGURIS
PHOTOGRAPHICE EXPRESSIS

TEMPERANTIA IN PRETIO - DILIGENTIA IN OPERE

ROMAE = Via Sistina, 129 = **ROMAE**